



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 65. Congregationes pro disponendis proximæ Sessionis decretis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A. C. 1563.

„tanto tempore absentes fuimus, re-
„gredi possimus.

Postea Orator subiunxit: „Ad ho-
„norem, & existimationem Regiæ Ma-
„jestatis conducit, ut nos Tridentum
„reverti non jubeat, nam juxta ejus
„mandata in publicis, & privatis con-
„gressibus semper affirmavimus, quod
„postrema hæc Concilii indictio sub
„Pio IV. haberetur tanquam novum
„Concilium, prout Cæsar petebat ad-
„versus Regem Catholicum, aliosque
„Principes, quibus sese uniebant Hi-
„spani, Itali, aliique Principes, imo
„ipsemet etiam Pontifex., Hæ ratio-
nes tantopere Regis animum commo-
vebant, ut ad Senatus sui sententiam
hiscæ Oratoribus perscribi præciperet,
ne amplius Tridentum redirent.

§. LXV.

*Congregatio pro perficiendis proxi-
mæ Sessionis decretis.*

Pallav. l. 23.
c. 7. n. 1.
§ 2.

Ea erat rerum conditio, cum Lotha-
ringius Cardinalis die quinta No-
vembris Tridentinam urbem ingrederetur:
cum autem usque ad tempus pro-
ximæ Sessioni præfixum nonnisi tres
vel quatuor dies superessent, hinc cre-
bræ habebantur Congregationes, in
quibus decreta, quibus ultima manus
fuerat admota, referebantur: cum au-
tem

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

tem circa plura nondum concors erat omnium sententia, hinc Patrum nonnulli seligebantur, qui ad marginem annotarent opinionum diversitatem, ut illæ omnibus Prælatiis innotescerent. Postea iisdem novum decretorum exemplar exhibebatur, quod demum ad Congregationem delatum ibidem approbaretur; quippe inter alios nonnulli circa primum caput petebant, ut forma eligendorum Episcoporum Pontifici remitteretur: quoad secundum vero volebant, ut auferretur Episcopis obligatio obedientiæ Archiepiscopis exhibendæ: porro in quarto quod nunc obtinet quintum locum, decidi cupiebant, ut minores Episcoporum causæ ob delictum, quibus abrogatio, aut suspensio non debeat, a Provinciali Synodo cognoscerentur: insuper in nono juxta numerum, quem illa prius habebant, postularunt, ut in Episcopis facultas invisendi non intelligeretur de Ecclesiis, quæ Capitulis Generalibus subduntur; præterea in decimo septimo addi optarunt, ut illi, qui examen exercebant, non eligerentur a Synodo Provinciali, sed ab ipso Ordinario, cujus erit Sacerdotia conferre viris pauperibus, ac doctis, quos divitibus, ac ignorantibus præferat oportet.